

et Sabbatum mentis, in quo, tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei; ut quod prius cum amaritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas et delectatione. Hanc, ni fallor, gratiam petebat qui ait: *Remitte mihi ut refrigerer* (*Psal. xxxviii, 14*); ac si dicat, Quousque in sudore et dolore isto crucior, et morte afficior tota die? *Remitte mihi ut refrigerer*. Verum, et ad hanc quidem perfectionem pauci, ni fallor, perveniunt in hac vita. Neque enim si quis aliquando videtur hanc habere, continuo credat sibi necesse est, maxime si novitius est, nec [alias sed necdum] per præfatos ascenderit gradus. Pius enim Dominus noster Jesus Christus pusillos corde blanditiis talibus solet allicere. Sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam, ut in die honorum memores sint malorum, et in die malorum non immemores sint honorum. Longe aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis hujus felici fruuntur jucunditate. Sed multi tota vita sua ad hoc tendunt, et nunquam pertendunt; quibus tamen, si pie et perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatorie est negatum, illuc perducente eos sola gratia, quo prius tendebant ipsi cum gratia, ut consummati in brevi, expleant tempora multa.

A 11. Illis vero qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur restare periculum, et omnino timendum eis a dæmonio meridiano: *Ipse enim Satanæ transfiguratur se in angelum lucis* (*II Cor. xi, 14*). Hoc erga timendum ei qui tanta delectatione omnia facit, ne, dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitiū detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis; atque hæc est octava dies in qua circumciditur puer: quia discretio vere circumcidit, ut non plus nec minus fiat. Nam et qui nimius est, fructum boni operis abscindit, non circumcidit; sicut qui tepidus est, si minus facit. In hac ergo die nomen imponitur, et nomen salutis; nec de eo qui sic conversatur dubitem dicere quod suam ipsius salutem operetur. Usque ad hunc enim diem dicere possunt angeli, qui norunt secreta cœlestia; sed ego nunc primum ei fiducialiter nomen salutis impono. At vero, quia omnino rara ista avis est in terris (*JUVEN. sat. vi*), hujus discretionis locum in vobis, fratres, suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quam imperatum sit, faciatis.

IN EPIPHANIA DOMINI

SERMO I.

De verbis Apostoli, « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, » (Tit. iii, 4), et de tribus Christi apparitionibus.

1. *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Gratias Deo, per quem sic abundat consolatio nostra in hac peregrinatione, in hoc exilio. **796** in hac miseria. Super his namque sæpius vos admonere curamus, ut nunquam mente excidat, peregrinos nos esse, longe factos a patria, pulsos hæreditate. Quisquis enim desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, superest ut non habeat Dei gratiam (13). Inde est quod homines sæculi, negotiis et flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam. Vos quibus non frustra dictum est, *Vacate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal. xlv, 11*); et de quibus idem propheta: *Virtutem, inquit, operum suorum annuntiavit populo suo* (*Psal. cx, 6*); vos, inquam, quos non detinet occupatio sæcularis, atten-

C dite quænam sit consolatio spiritualis. Vos qui non ignoratis exilium, audite quia de cœlo venit auxilium. *Apparuit enim benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas; siquidem et prius erat: nam et misericordia Domini ab æterno est. Sed unde tanta agnosci poterat? Promittebatur, sed non sentiebatur; unde et a multis non credebatur. Multifarie quippe multisque modis loquebatur Dominus in prophetis (*Hebr. i, 1*), *Ego, inquit, cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* (*Jerem. xxix, 11*). Sed quid respondebat homo, afflictionem sentiens, pacem nesciens? Quousque dicitis, *Pax, pax, et non est pax* (*Ezech. xiii, 10*)? Propter hoc angeli pacis amare flebant (*Isa. xxxiii, 7*), dicentes: *Domine, quis creditit auditui nostro* (*id. liii, 1*)? Sed nunc credant homines vel visui suo, quia *testimonia Dei credibilia facta sunt nimis* (*Psal. xcii, 5*). Ut enim nec turbatum quidem oculum lateat, *in sole posuit tabernaculum suum* (*Psal. xviii, 6*).

2. Ecce pax non promissa, sed missa; non dilata,

(13) Id est, consequens est ut non habeat Dei gratiam, quæ non nisi petentibus, et miseriam suam agnoscentibus datur, nec servatur nisi iis qui timent ne eam amittant, infra sermone 1 post octavam Epiphaniæ, num. 5, et sermone 2, num. 8. Quibus adde sermonem 1 in psalmum xvi, num. 4. Unde

sermone 5 in Dedicatione ecclesiæ, num. 8: « Excludit miseriæ dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis. » Confer librum de Vita Bernardi, num. 36 et 37.

sed data; non prophetata, sed præsentata. Ecce quasi saccum plenum misericordia sua Deus Pater misit in terram; saccum, inquam, in passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet pretium nostrum; saccum utique, etsi parvum, sed plenum. Parvulus siquidem datus est nobis, sed in quo habitat omnis plenitudo divinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit et plenitudo divinitatis. Venit in carne, ut vel sic carnalibus exhiberetur, et apparente humanitate benignitas agnosceretur. Ubi enim Dei innotescit humanitas, jam benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quam suscipiendo carnem meam? Meam, inquam, non carnem Adam, id est non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei Verbum propter nos factum est fenum? *Domine, quid est homo quia reputas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* (*Job. vii, 17.*) Hinc attendat homo quanta sit cura ejus Deo; hinc sciat quid de eo cogitet aut quid sentiat. Non interrogas, o homo, ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate; et quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. *Apparuit, inquit Apostolus, benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Magna plane et manifesta benignitas Dei et humanitas! et magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati addere nomen Dei curavit.

3. Et quidem ad Mariam missus Gabriel angelus Filium Dei loquitur, sed non nominat Deum. Benedictus Deus, qui talem nobis de nobis ipsis Angelum dedit, ut noster ipse suppleret quod ille non dixit. Nam et ipse spiritum Dei habuit, et ejus spiritu locutus est, quod nobis valde necessarium fuit. Quid enim sic instruit fidem, spem roborat, charitatem accendit, quomodo humanitas Dei? Sed Angelo nostro id reservatum est quod alii tacuerunt. Neque enim omnes **797** omnia dicere congruum erat, ut a diversis diversa colligere gratulemur, et debitas singulis gratias referamus. Attamen unum est in quo conveniunt Apostolus et angeli qui de Christi nativitate loquuntur, id est in nomine Salvatoris. Ad Mariam quidem, tanquam plenius edoctam per Spiritum, Gabriel loquens indicat nomen solum: *Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum* (*Luc. i, 31*). Ad Joseph veniens angelus non solum nomen protulit, sed et causam ejus interpretatus edocuit, dicens: *Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth. i, 21*). Sed et pastoribus quoque annuntiatur gaudium magnum, natum illis Salvatorem Christum Dominum (*Luc. ii, 10, 11*). Simile aliquid Paulus loquitur: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Bene dulce nomen nullus ex ipsis tacuit,

qui hoc mihi maxime necessarium fuit. Alioquin quid agerem, audiens Dominum venientem? Nunquid non fugerem, sicut Adam qui a facie ejus fugit, sed non effugit? Nonne desperarem, audiens quia venit ille cujus legem sic prævaricatus sum, cujus patientia sic abusus sum, cujus beneficio tam ingratus inventus sum? Quæ vero major consolatio poterat esse, quam in dulci vocabulo, in nomine consolatorio? Propterea et ipse dicit quia *non venit Filius et judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan. iii, 17*). Jam confidenter accedo, jam supplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ei soli peccavi; donatum erit quidquid indulserit ille; utique enim licet ei quod vult facere. Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? aut quis accusabit adversus electos Dei? (*Rom. viii, 33, 34.*) Propterea gaudere nos oportet, quod in nostra venerit; nunc enim facilis ad indulgentiam erit.

4. Denique parvulus est: leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facile donat? Ecce si non fuerit nobis pro minimo, possumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen sine poenitentia, sed quia minimum quiddam sit nostra ipsa poenitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus; attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est; illud si dedero, satis est. Si quominus, addo et corpus ipsius: nam illud de meo est, et meum est. *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isai. ix, 6*). De te, Domine, suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! o satisfactio suavissima! o vere reconciliatio facilis, sed perutilis! satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quam facilis modo, tam difficilis erit postea; et sicut modo nemo est qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem humanam æstimationem, similem exspectare possumus judicii districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Ut enim scires quanta districtio succedit, tanta illam mansuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immensus est enim Deus et infinitus in justitia, sicut et in misericordia; multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi vindicat; ut, si voverimus, districtio invenire non possit in quem sæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati severitatem videamus securi. Propterea voluit non solum ad terras descendere, sed etiam innotescere; non solum nasci, sed et agnosci.

5. Denique propter hanc agnitionem dies ista celebris habetur, et insignis dies apparitionis. Hodie enim magi ab Oriente venerunt, ortum Solem justitiæ requirentes, eum de quo legitur: *Ecce vir,*

Oriens nomen illi (Zach. vi, 12). Hodie adoraverunt novum Virginis partum, sequentes novi sideris ductum. Nonne et hic nobis est magna consolatio, sicut in illo, de quo locuti sumus, Apostoli verbo? Ille dixit Deum; isti non voce, **798** sed opere dicunt. Quid facitis, o Magi? Quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in turgurio vili, in vilibus pannis! Ergone Deus est iste? Deus certe in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus; et vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio. Quid facitis, quod et aurum offertis? Ergo rex est ipse? Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Nunquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph et Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent parvulum despiciabilem tam sua ætate quam paupertate suorum? **B** Insipientes facti sunt, ut fierent sapientes, et prædocuit eos Spiritus quod postea prædicavit Apostolus: *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens* (I Cor. iii, 18). *Quia enim per sapientiam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos fieri credentes* (I Cor. i, 21). Nonne timendum erat, fratres, ne scandalizarentur viri isti, et illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate, ubi regem quærendum conjectabant, ad Bethlehem villam parvulam diriguntur; ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia; prociidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipse et instruxit; et qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. Hæc igitur Domini declaratio clarificavit hanc diem, et Magorum devota veneratio devotam fecit et venerabilem.

6. Nec sola hæc apparitio, sed altera quædam, sicut a patribus nostris accepimus, hodie celebratur; quæ, etsi longo post tempore, facta creditur hoc ipso die. Cum enim jam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne, qui secundum divinitatem idem ipse est, et anni ejus non deficiunt, inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit; venit tamquam unus e populo, qui solus erat sine peccato. Quis eum tunc crederet Filium Dei? quis putaret Dominum majestatis? Valde quidem humiliaris, Domine; in imis absconderis, sed Joannem latere non poteris. Nonne ipse est, qui per maternum uterum, te nondum natum nondum natus agnovit? Nonne ipse est qui per utriusque materni uteri parietes te agnovit; et, quia turbis clamare non potuit, saltem matrem suam motu exultationis edocuit? (*Luc. ii, 41.*) Nunc autem quid? *Vidit eum Joannes*, ait evangelista, *venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan. i, 29*). Vere agnus, vere humilis, vere mansuetus. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. En ipse qui purgationem faciat delictorum, ecce sentinam nostram purgaturus advenit: et tamen post hoc testi-

monium baptizari vult a Joanne. Tremet ille. Quid mirum? quid, inquam, mirum, si tremet homo, nec audet attingere sanctum Dei verticem, caput adorandum angelis, reverendum Potestatibus, tremendum Principatibus? Baptizari vis, Domine Jesu? Ut quid enim, aut quid tibi opus fuit baptisate? Nunquid sano opus est medicina, aut mundatione mundo? Unde tibi peccatum, ut baptisma sit necessarium? Nunquid a patre? At patrem quidem habes, sed Deum; et æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non posse quis nesciat? An vero de Matre? Nam et Matrem habes, sed virgo est. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ te sine iniquitate concepit, et salva integritate peperit? Quam maculam habere potest Agnus sine macula? *Ego*, inquit Joannes, *a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Magna utrimque humilitas, sed nulla comparatio. Quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo? *Sine modo*, inquit Dominus: *deceat enim sic nos implere omnem justitiam* (*Matth. iii, 14, 15*). Acquievit Joannes, et obedivit: baptizavit Agnum Dei, et aquas lavit. Nos abluti sumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.

7. Sed fortassis minus credis Joannis testimonio, **799** quia et ipse homo est, et potes habere suspectum; cognatus ejus est cui testimonium perhibet. Ecce testimonium majus Joanne, testimonium advenientis columbæ. Nec incongrue ad indicandum Agnum Dei venit columba; quia nihil melius agno convenit quam columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut agnus et columba? Nocere cuiquam nesciunt, lædere non verunt. Sed ne fortuito casu id evenisse causeris, ecce testimonium Dei Patris. Ecce Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas (*Psal. xxviii, 3*), et Vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth. iii, 17*). Vere enim hic est, in quo non est quod Patri displiceat, quod oculos majestatis offendat. Unde et ipse ait: *Quia quæ placita sunt ei, facio semper* (*Joan. viii, 29*). *Ipsam* inquit, *audite*. Ecce, Domine Jesus vel jam nunc loquere. Quousque siles? quousque dissimulas? Diu tacuisti, et valde diu; sed jam nunc loquendi licentiam habes a Patre. Quandiu, Dei virtus et Dei sapientia, quasi infirmus aliquis et insipiens, lates in populo? Quandiu, nobilis Rex, et Rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter et putari? Etenim Lucas evangelista testatur quoniam *adhuc filius Joseph putabatur* (*Luc. iii, 23*). O humilitas, virtus Christi! o humilitatis sublimitas! quantum confundis superbiam nostræ vanitatis? Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et jam silere non possum, impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat cum se ipsum

abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat; sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum; nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere; et quod postea docuit verbo, jam clamabat exemplo: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29). Nam de infantia Domini parum aliquid audio; extunc jam usque ad hunc tricesimum annum nihil invenio. Nunc vero jam latere non potest, qui tam manifeste demonstratur a Patre. Nam in prima quoque apparitione cum matre virgine voluit apparere, quod verecundia quædam in virginitate signaretur.

8. Tertia quoque apparitio ejus in Evangelio invenitur: et hæc nihilominus hodie celebratur. Invitatus enim ad nuptias Dominus, vino deficiente, compassus eorum verecundiæ, aquam mutavit in vinum. *Hoc etiam*, sicut ait evangelista, *signorum ejus fuit initium* (Joan. ii, 11). Itaque in prima apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera matris infans apparuit; in secunda vero, verum esse Dei Filium Patris indicat testimonium; in tertia vero, verus esse Deus demonstratur, ad cujus imperium natura mutatur. Tot testimoniis hodie confirmatur fides nostra, tot indiciis roboratur spes nostra, tot incentivis inflammatur charitas nostra.

SERMO II.

De Magis, ubi exponitur illud de Canticis, III, 11, « Egre dimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem. »

1. Tres apparitiones Domini legimus: unam quidem die, sed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia; sed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Joannis et columbæ pariter et paternæ vocis attestatio; sed illud mirabile magis, quod agnitus est a Magis. Nam quod Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solum Deum, sed et regem agnoscunt, quod designatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis sacramentum: **SCD** unde et in myrrha indicant moriturum. Adorant Magi, et offerunt munera adhuc sugenti matris ubera. Sed ubi est, o Magi, ubi est purpura regis hujus? Nunquid viles panni isti, quibus est involutus? Si rex est, diadema ejus ubi est? Sed vos eum vere videtis in diademate, quo coronavit eum Mater sua, in sacco mortalitatis, de quo resurgens ait: *Quia conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (Psal. xxix, 12). *Egre dimini, filiæ Sion; et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*, etc. Egre dimini, virtutes angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate, quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modo caruistis, hanc hactenus dulcedinem non gustastis. Habetis sublimitatem ejus, sed humilitatem ejus non vidistis. Egre dimini igitur, et vi-

detes regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.

2. Verumtamen non est opus illis nostra exhortatione, quoniam ipsi sunt qui desiderant in illud prospicere. Illis enim quanto sublimitas notior, tanto humilitas pretiosior et amabilior est. Unde (licet nobis major sit causa lætitiæ: nobis enim natus est, et nobis datus) tamen ipsi nos præveniunt, ipsi nos exhortantur. Probat hoc angelus, qui gaudium magnum exangelizat pastoribus, et quæ cum eo facta est multitudo cœlestis exercitus (Luc. ii, 10. 13). Vobis ergo dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, et non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: *Egre dimini, filiæ Sion*. Egre dimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egre dimini de terra vestra, et de cognatione vestra, et de domo patris vestri, *et videte regem Salomonem*; alioquin non erit tutum vobis videre eum ecclesiasten. Idem enim qui Salomon, id est pacificus, in exilio est (14), Ecclesiastes, id est concionator, erit in judicio, Idida, id est dilectus Domini, in regno. In exilio mansuetus et amabilis, in judicio justus et terribilis, in regno gloriosus et admirabilis. Egre dimini igitur, et videte regem Salomonem: nam ubique rex est. Licet enim regnum ejus non sit de hoc mundo, tamen rex est etiam in hoc mundo. Interrogatus siquidem, *Ergo rex es tu? Ego*, inquit, *in hoc natus sum, et in hoc veni in mundum* (Joan. xviii, 37). Hic ergo rector est morum, in judicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum.

3. Egre dimini proinde, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in corona paupertatis, in corona miseriæ. Siquidem coronatus est et a noverca sua corona spinea, corona miseriæ; coronandus a familia sua corona justitiæ, quando exhibunt angeli, et tollent de regno ejus omnia scandala, quando veniet ad judicium cum senioribus populi sui; cum pugnabit pro eo orbis terræ adversus insonsatos. Coronat eum et Pater corona gloriæ, sicut ait Psalmista: *Gloria et honore coronasti eum, Domine* (Psal. viii, 6). Videte eum, filiæ Sion, in diademate, quo coronavit eum mater sua. Suscipite coronam parvuli propter vos regis vestri, et una cum Magis humilitatem ejus adorate, quorum fidei devotio vobis hodie proponitur in exemplum. Cui enim comparabimus, et cui similes æstimabimus viros istos? Si latronis fidem, si centurionis confessionem considero, in eo superexcellere videntur isti, quod jam tunc miracula multa fecerat, jam tunc a multis prædicatus fuerat, a multis adoratus. Attamen consideremus quid et illi dixerint. Clamabat latro de cruce: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (Luc. xxiii, 42). Ergone per supplicium ille vadit in regnum? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati

(14) Quæ abhinc sequuntur ad finem sectionis, totidem verbis leguntur in sermone 50 de Diversis.

Christum, et sic intrare in gloriam suam? Tu quoque, centurio, eum unde nosti? *Videns quod sic clamans exspirasset: Vere, inquit, hic homo Filius Dei erat (Marc. xv, 39).* Mira res, et omni admiratione digna!

SOL 4. Propterea, rogo vos, intuemini et videte quam oculata sit fides; quam lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem: siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt; ille clavis infixum, isti pannis involutum: centurio vero vitam agnovit in morte. Isti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate, ille summum Spiritum in expiratione. Isti Dei Verbum in infantia cognovere: siquidem quidquid illi sermonibus, isti muneribus confitentur. Latro regem, centurio Dei Filium simul et hominem pronuntiat. **B** Et quid hæc tria ipsa magorum munera indicant, nisi quod in thure non tam Dei Filium monstravere, quam Deum? Obsecramus ergo, charissimi, [prosit vobis tanta charitas, quam nobis Deus majestatis exhibuit; tanta humilitas, quam suscepit; tanta benignitas, quæ nobis per Christi humilitatem apparuit. Agamus gratias Redemptori et mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris; siquidem talem jam novimus ejus animum, ut non immerito dicamus: Sic currimus, non quasi in incertum (I Cor. ix, 26). Profecto enim tale est erga nos cor Dei Patris, quale nobis expressit qui de ejus corde processit.

SERMO III.

De lectione evangelica, « Ubi est qui natus est Rex Judæorum? » (Matth. ii, 1-11).

1. Necessarium nobis videtur, fratres, juxta cæterarum solemnitarum consuetudinem, etiam solemnitatis hodiernæ vobis exponere rationem. Interdum enim contra vitia loquimur, et genus illud sermonis perutile; sed diebus cæteris videtur opportunius convenire. Festivis autem, et maxime in præcipuis solemnitatibus, magis circa ea quæ solemnitatis sunt, immorandum videtur, ut pariter et erudiat animus, et excitetur affectus. Quomodo enim celebrabitis quod nescitis? aut quomodo sciatis, nisi annuntietur vobis? Propterea non sit molestum his qui sunt in lege periti, si parum docti morem gerimus, ut exigit ratio charitatis. Credo enim ne ipsos quidem suis epulis esse fraudandos, si minus eruditis, tanquam popularibus turbis, grossiores prius apposuerint cibos. Ita vero apponent, si fraternæ charitatis intuitu placuerint eis quæ necessaria sunt non satis intelligentibus, etsi fortasse minus necessaria videantur. Sic autem fragmenta postmodum recolligent sibi ipsis, si diligentius recogitantes subtiliora quæque, tanquam munda animalia ruminaverint quæ parum intelligibiles animos præ subtilitate effugerint.

2. Solemnitas igitur hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quippe apparitio est. Hodie ergo apparitio Domini celebratur, non tantum

una, sed trina, sicut a patribus nostris accepimus. Hodie enim parvulus rex noster, paucis a Nativitate diebus transactis, stella declarante primitiis gentium apparuit. Hodie quoque, cum jam triginta ferme in dispensatione carnis egisset annos (qui secundum divinitatem idem ipse est, et anni ejus non deficient), inter populares turbas absconditus, ad Jordanem baptizandus advenit; sed testimonio Dei Patris innotuit (Matth. iii, 13-17). Hodie nihilominus cum discipulis suis vocatus ad nuptias, deficiente vino, signo admirabili suæ potentiae aquas in vinum mutavit (Joan. ii, 1-11). Sed delectat eam, quæ in infantia Salvatoris facta est, apparitionem diligentius intueri, quoniam et dulcissima est, et specialius hodie noscitur celebrari.

3. Hodie ergo, sicut audivimus in evangelica lectione, Magi Jersolymam venerunt ab Oriente. Merito sane ab Oriente veniunt, qui Solis justitiæ novum nobis ortum annuntiant, qui lætis rumoribus totum mundum illuminant; nisi quod infelix Judæa, **SOL** quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur, et caligantes oculi ejus coruscante radio Solis æterni multo magis excæcantur. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Quam certa fides, et nihil penitus hæsitans! Non quærunt utrum natus sit; sed fiducialiter loquuntur, et interrogant sine dubitatione, ubi sit natus est Rex Judæorum. Porro, audito nomine regis, rex Herodes successorem suspicatus expavit. Nec mirum si turbatur Herodes; sed quod Jerusalem civitas Dei, quæ *visio pacis* est, cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte, fratres, quantum noceat iniqua potestas; quomodo caput impium subjectos quoque suæ conformat impietati. Misera plane civitas, in qua regnat Herodes; quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, et ad novæ salutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minime regnabit, etiamsi adesse contingat; quod et ipsum Deus avertat! Nam Herodiana malitia et Babylonica crudelitas est, nascentem velle extinguere religionem, et allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur; imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Sed jam inchoatam prosequamur historiam. Credo, si quis conscius est hujus rei, studiosius sibi cavebit de cætero; et Herodianum exsecrabitur animum, ne similem exitum sortiatur.

4. Ergo quærentibus Magis Regem Judæorum, et sciscitante a Scribis Herode Dominicæ Nativitatis locum, illi juxta prophetam nomen civitatis edicunt. Cumque recessissent Magi, et reliquissent Judæos, *ecce stella quam viderant in Oriente, antecibat eos.* Hinc manifeste datur intelligi quoniam, humanum flagitantes consilium, divinum amisere ducatum; et conversos ad terrenum documentum, signum cœleste

deseruit. Unde et relicto Herode, continuo gavisissimi sunt gaudio magno valde. Stella enim antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi puer erat. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum.* Unde vobis hoc, o alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Israel. Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperes cunæ præsepîi? non vos pauperis matris præsentia, non lactentis infantia scandalizat?

5. Denique *apertis thesauris suis*, ait evangelista, *obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Si solum obtulissent aurum, videri fortasse poterant paupertati matris voluisse consulere, ut haberet nimirum unde parvulum posset filium educare. Nunc autem offerentes pariter aurum, thus et myrrham; sine dubio spiritualis oblationis genus insinuant. Aurum enim inter divitias sæculi videtur excellere; quod per ejus gratiam omnes nos devote obtulimus Salvatori, cum pro ejus nomine ex integro dereliquimus substantiam hujus mundi. Jam vero necesse est ut, qui perfecte terrena contempsimus, flagrantissimo desiderio cœlestia requiramus. Sic enim offerimus et thuris odorem; quo nimirum, ut in Apocalypsi beati Joannis legis, significantur orationes sanctorum (*Apoc. v. 8*). Unde et Propheta in psalmo: *Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (Psal. cxi, 2)* Sic et in alio loco legis, *quia oratio justi cœlos penetrat (Eccli. xxxv, 21).* *Oratio, inquam, non cujuslibet, sed justi.* Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

6. Porro si justus esse volueris, et non avertere aurem tuam a mandatis Domini, ne avertat et ipse suam a precibus tuis, necesse est ut non solum præsens sæculum contempnas, sed et ipsam carnem castigas, et subicias servituti. Nam qui dixit: *Nisi quis abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (Luc. xiv, 33)*, et alibi: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me (Matth. xix, 21)*, idem ipse in alio loco ait: *Qui vult venire post me, **803** abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Luc. ix, 23).* Quod exponens Apostolus: *Quicumque, inquit, sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis et concupiscentiis (Galat. v, 24).* Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, et afflictionem carnis; nec dubium quin cœlos penetret, et dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium, et acceptabilis oblatio nostra, in qua eum auro et thure fuerit etiam et myrrha: quæ, licet amara sit, tamen perutilis est, et conservat corpus quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat. Hæc breviter pro imitanda Magorum oblatione sint dicta.

7. Cæterum quoniam apparitionem hanc esse diximus, quid in ea appareat, dignum est ut quaeramus. Utique secundum verba Apostoli: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei (Tit.*

Matth. iii, 4). Ecce enim in evangelica lectione audivimus quoniam *intrantes domum Magi invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* In infanti corpore, quod virgineo mater fovebat in gremio, quid nisi veritas susceptæ carnis apparuit? Quid in eo quod cum matre parvulus invenitur, nisi verus homo et verus hominis filius declaratur? Jam vero et in secunda apparitione vide si non manifeste vocis paternæ testimonio Dei Filius approbatur. Cœli namque aperti sunt super eum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in illum, et vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (Matth. iii, 17).* Satis equidem manifestum est ex hoc ipso, satis evidens et indubitabile, quoniam Dei Filium necesse est Deum esse. Nam et filios hominum homines, et ipsorum quoque animalium fetus ex eodem cum eis genere esse nemo est qui dubitet. Verumtamen, ut nullus sacrilego errori remaneat locus, qui in prima apparitione verus homo et filius hominis est declaratus, et in secunda verus nihilominus Dei Filius, in tertia jam verus Deus et auctor naturæ probatur, ad cujus nutum natura mutatur. Nos ergo, dilectissimi, Christum Jesum diligamus ut verum hominem et fratrem nostrum, honoremus ut Dei Filium, adoremus ut Deum. Secure credamus in eum, secure credamus ei nos ipsos, fratres mei, cui nec potestas deest salvandi nos, cum sit verus Deus, et Dei Filius, nec bona voluntas, cum sit tanquam unus ex nobis verus homo, et hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis?

8. Jam si desideratis super his apparitionibus aliquid ad ædificationem morum audire, illud attendite, quod primo omnium Christus appareat puer cum Virgine matre, ut simplicitatem et verecundiam ante omnia quaerendam nobis doceat esse. Nam et pueris simplicitas naturalis, et cognata virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. In secunda vero apparitione venit Salvator ad aquas baptismi, non quidem lavandus, sed magis a Patre testimonium accepturus. Hæ sunt lacrymæ devotionis, in quibus non indulgentia peccatorum, sed beneplacitum quaeritur Dei Patris, cum descendit in nos spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritu nostro quod sumus filii Dei, ut mellifluam nobis vocem de cœlo videamur audire, quia vere Deus Pater in nobis complaceat sibi. Nec parum distat inter has lacrymas devotionis, et ætatis utique jam virilis, atque eas quas primæva ætas inter infantie vagitus emisit, lacrymas utique poenitentiae et confessionis. Verumtamen longe amplius utrisque præcellunt aliæ quaedam lacrymæ, quibus et infunditur sapor vini. Illas enim lacrymas vere in vinum mutari dixerim, quæ fraternæ compassionis affectu in fervore prodeunt charitatis; pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor esse sobria quadam ebrietate videris.